



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## **Universitätsbibliothek Paderborn**

**[De Natvrali Ex Vngvivm Inspectione Praefagio comment.]**

**Baldi, Camillo**

**[Bononiae], 1629**

Chyromantum de maculis vnguium sententiæ. [Cap. XX.]

**urn:nbn:de:hbz:466:1-13286**

*Chyromantum de maculis vnguium sententia.*

Cap. X X.

**V**Aria sed nulla ratione vallata recitant Chyromantæ de vnguis eorumque maculis; Notantes diuerfitatem digitorum colorem, & figuram macularum; Aliud enim eadem metu macula significat in manu dextra, aliud in sinistra; Et quod fortunatum est in pollice, infortunium est in indice, vel medio; quasdam aiunt esse certissimas, neque falli, alias medio modo se habere, alias demum minimo negocio declinari. In pollice manus dextræ honores, & dignitates dicunt cognosci, & præfertim imperia; Albæ maculæ potestates circa aquas, rubræ sanguinis imperium, nigrae potestatē supra Dœmones, & viros malos, ac nequam; si vero fuerint liuidæ dignitatem cito amittendam, si radioſæ, & albæ fuerint Ecclesiastica sortientur imperia, & beneficia; si carebunt radijs, & roseæ fuerint à regibus amati erūt & multum auctoritatis, & dignitatis cōsequentur; partem enim superiorem Marti tribuunt pollicis, inferiorem Veneti; cuius radicem vocant Veneris montem; Quo fit ut idem huius digitæ vnguis, & voluptates Venereas, & affectiones indicet martiales, & dominiū huius planetæ. Si ergo in pollice fuerint albæ maculæ in radice digitæ extantes, spes aliquius dignitatis, aut honoris, aut voluptatis brevi se offeret; neque septimum diem deludet; & si magna macula etiam augebitur spes, si parua, res est in angusto; & dignitas sperata nullius penè momenti cum ad medium venerit iam suum finem consequitur, si autem ad extremum decuenerit vnguem, & ibi apparuerit iam transiit tempus, & spes frustrata est; si radioſa, albaque fuerit macula, magnā promittit fælicitatem cū principibus; & si aliquid rubri admixtum apparuerit, de mulieribus amatis fiet votorum compos homo, & ab illis quid quid cupiet obtinebit.

Fractæ maculæ fractas spes, & lucra lētitiasq; impeditas de  
mon-

monstrant; Iunctæ, & continuæ bene se habent; superficiales cito euanescent, profundæ, cū difficultate quod promittunt, dabunt sed durabit diu; splendor fœlicitatem auget, obscuritas minuit; At lœuor pessimus est, & frustratas spes docet; & spei successurum timorem, & dolorem, & si in parte externa, & ad angulum exteriorem vnguis verget macula, liuida infamiam, & ignominia expectare oportebit ab his, qui id non deberent facere. At si ad internam partem vnguis versus indicem se se exeret macula liuida, vxorum, vel amasiarum adulteria, amores, & impudicos habebit complexus, vnde primum zelotypiā, mox dolores, & sollicitudines infinitas reperiet, & eo magis infortunia augebuntur, quò liuida macula maior continua, & radioſa ſe ſe offeret; Mala eſt in pollice dextro; At in ſinistro, putant, tantum, atque adeo terribile indicare infortunium, vt homo, & vita, & omni ſpolietur dignitate; Nigra macula in pollice virum melancholicum, & infelicem ſignificat, & cui nihil iucundi, aut honorabilis ſine magno labore accedat; Volunt liuorem eſſe nigredine peiorem, quoniā magis diminuitum calorem, aut prope extinctum eſſe ſignificat; nigredo atrabilis dominiū, liuor frigus in morbis extrema īa occupare, & mortem præforibus eſſe docet; Roseum colorem laudant in hoc vngue, & dicunt fortunatum facere cum mulieribus hominem, Veneris enim color eſt roſeus, & veneri dicata roſa. Purpureus martialis, quare cui maculæ purpureę, & radioſę in pollice, & eadē ſplendentes apparuerint; Hunc dicunt futurum virum maximum, & potentem, imperiaque exercitaturum; & maximos honores in bello, & in pace conſecuturum; Crudelem tamen, & iracundum hominem, & ſuorum inimicorum terribilem persecutorem, & euersorem futurum; talem fuiffe aiunt Valentīnum, & vngues vtriusque pollicis insignitas habuisse maculis ſanguineis; Hæc de pollice dextro, quidam tamen dicunt, dextri & ſinistri differentiam faciendam, in ijs ſecundum quod dextram, aut ſinistram manū uſurpant in operibus; alij dicunt fortunam eorum

corum qui nascuntur inter diū in dextra , qui noctu in finis-  
tra spectari .

*Indicis macula ; & medij ex chyroman : placitis . Cap. XXI.*

**I**ndicem Ioui tribuunt in huius vngue lucra , & damna  
apparere aiunt , si vnguis albus fuerit , & eburneus diues  
erit , & si maculae fuerint albæ , & in medio vnguis appare-  
bunt iam diues actu est , si autem in summitate , neque ha-  
ctenus diuitiæ contigerint , frustra expectabit , paruae macu-  
lae partias fortunas , magnæ magnas promittunt , radiosæ ho-  
nores cum diuitijs spondent , obscuræ , & fractæ furta , & ra-  
pinas minâtur , & his augeri modis rem familiarem . Nigras  
dicunt Martiales , & in Indice minantur percussionses , cum  
vituperatione , & de decore si fuerint in dextra , si vero in fi-  
nistra , & periculum , & dedecus augebitur ; obscure propter  
feminas malum sequi , lucide si cum nigrore fuerint propter  
dignitatem , & proprium honorem capiendum infortunium ;  
Roseæ propter mulieres nos habituros multos amicos , & ab  
his nobis bona prouenient , sed fama laborabit ; valde si ma-  
gnæ sunt maculæ , parum , si paruae , & sine radijs . Purpureas ,  
& ad colorem corticis castanearum accedentes maculas so-  
lares aiunt ; Solem regias potestates , & præsertim Ecclesia-  
sticas dare dignitates ; & hominem supra domesticos , & ami-  
cos sublimandum , vt alijs præsit , & apud Principes sit in  
honore magno . Mixtæ maculae , plures , & diuersi coloris  
iudicium faciunt difficile , sed attenditur magnitudo , & co-  
lor , & radius , seu splendor maculae , & horum ratione fit iu-  
dicium , si modo sine ratione somniare has nugas ; potest fieri  
iudicosa oratio ; Quod si hæc in sinistræ manus indice  
apparuerint , oppositū penitus erit iudicium ; Et si in vtro-  
que indice maculae apparuerint . Ait Cardanus , malum  
semper pronunciandum , quamuis minuatur , ab his que sunt  
in dextro indice , & causam reddere volens , ait , id fieri , quo  
niam humana natura ad malum nimis est prona , & prom-

D pta,